

piet. Si autem in quartis occidentalibus Sol repertus fuerit, tarde marito coniugabitur, uel in iuuentute seni desponsabitur.

Si Sol in signo unius figuræ inuentus fuerit, uel uni tantum planetæ matutinali associatus, nata sub hac configuratione, uni tantum uiro socia dabitur. Si in signo duorum corporum, uel plurium figurarum extiterit, aut in figura plusquam uni planetæ matutinali associatus fuerit Sol, multos maritos habebit.

Si Sol Saturno ex figura associetur, uel sit in dignitatibus eius, erit uir ipsius probus, iustus & laboriosus. Si uero Sol cum Ioue societatem habuerit, humilis erit & magnanimus. Si cum Marte, erit crudelis, & nullius dilectionis, nec humiliabitur. Si cum Venere erit probus & formosus. Si cum Mercurio, in rebus uitæ proficiet, & laboriosus erit. Si Venus cum Saturno fuerit, eius uir erit fessus, & ab actibus ueneris abstinebit. Si cum Ioue fuerit, erit bonus & iustus, ac uerecundus. Si cum Marte fuerit Venus, erit acutæ complexionis, & circa Venereos actus plurimum sollicitabitur, & erit fornicator. Si cum Mercurio commiscebitur Venus ipsa, circa proprios filios erit ualde pia.

Cum luminaria in utraq; natiuitate tam uiri quàm mulieris adinuicem conuenient tam ex parte signorum quàm ex parte ascendentum, aut ex trino uel sextili mutuo sibi associabuntur luminaria, maxime si in natiuitate uiri Luna conuenienter Soli in natiuitate mulieris coniungatur, aut si per coniunctionem locorum prædicto modo uel aspectu, erit perpetuus amor inter eos.

Si Sol & Luna in utriusq; natiuitate non alligantur adinuicem, aut fuerint in signis oppositis, aut ex quadrato se aspexerint, coniugium illud quauis de causa facile dissoluetur, maxime si ascendens uiri erit in opposito ascendentis mulieris. Aut luminaria in ambabus genituris ex quadrato uel opposito se aspiciant, erit perpetua inimicitia inter eos, & alter coniugum alterum odio habebit. At si ad luminaria quæ sibi in idonea figura conueniunt, fortunæ radios perrexerint, erit coniugium in amore, dilectione, & profectu, & si Soli tantum applicuerint, erit hoc tantum ex parte mulieris. Si autem infortunæ aspexerint Luminaria, perseuerabunt quidem, sed in litigio, odio, & damno. Si uero fortunæ testificentur luminaribus non bene in figura sibi inuicem conuenientibus, coniugium non omnino dissoluetur, sed post separationem reconciliabuntur, & cum dilectione inseparabiliter permanebunt. Si infortunæ eis testificentur, erit perpetua coniugii separatio, ualde litigiosa, & feritatis plena. Si solus Mercurius cum eis fuerit, manifeste separabuntur cum inculpationibus & quærimonijs. Si Venus cum eis fuerit, continget hoc propter adulterium aut necromantiam.

Cum Saturnus, Mars, & Venus se cum luminaribus conuenienter habuerint, erit coniugium legitimum & bonum, quia Veneris ad prædictos planetas quædam habitudo est conueniens, ad Martem quidem, quia utriusq; eorum tam Veneris quàm Martis exaltatio est in triplicitate alterius. Ad Saturnum uero, quoniam utriusq; domus est in signo triplicitatis alterius. Veneris igitur respectus aut habitudo ad Martem, uxorem iuuenulam fore demonstrabit: Veneris uero societas cum Saturno, uetulam uxorem fore significabit, Quare Venus cum Marte qualitatem amoris efficit absolutam, Cum quibus Mercurius si fuerit, res manifesta erit & detecta. Quando igitur participauerint Mars, & Venus, in signis in quibus ambo habuerint dignitatem, ut si sint in Capricorno uel Piscibus, hoc est, ut Venus sit in exaltatione Martis, & Mars in exaltatione, uel alia dignitate Veneris, natus illegitime copulabitur sorori, uel consanguineæ. Quod si Luna etiam in natiuitate masculi fuerit in Capricorno uel Piscibus, natus cum duabus sororibus, uel consanguineis actus Venereos habebit. Si autem in fœminina natiuitate idem permanserit, eam duo consanguinei, uel duo fratres incestabunt. At si Saturnus cum Venere fuerit, coniugium erit idoneum, & longo tempore permanebit, cum quibus si Mercurius

T ij mulieris